



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE QUAM PRAESTET IN LYCIENSI ARCHIDIOECESI TEMPLUM
SANCTO DOMINICO SAVIO

SACRUM AD DIGNITATEM BASILICAE MINORIS EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Quam praestet sanctos caelites honorari is profecto intellet qui consideret eos non solum in terrena vita fuisse servos fidelissimos Dei, et nunc in caelis amicissimos, atque idcirco laude cumulandos, sed etiam posse illos, qua gloria gaudent, humanos adiuvere tum in vitae huius discriminibus, quae iter ad aeternam et immortalem tranquillitatem saepiunt, tum etiam in necessitatibus, quae cuilibet imminet: talibus enim Patronis bona intercedentibus, aequiore vultu Deus concedet. Qua re, cum Venerabilis Frater Michaël Mincuzzi, Archiepiscopus Lyciense, ab hac Apostolica Sede petierit, ut templum paroeciale in urbe Lycia Sancto Dominico Savio dicatum, iam ad dignitatem Basilicae Minoris tolleretur, idque nomine suo clerique populique poposcerit; Nos ratione habita tum eiusdem sacrae aedis maiestatis, tum artis, quam prodit, tum maxime pietatis atque religionis, cuius flamma summo studio alitur in Dei gloriam Sanctorumque suorum decus, volentes insuper Venerabilis Fratris Archiepiscopi exspostulationi concedere, bene fieri censuimus si admotae precii obsecundarem. Iis ergo probatis quae Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu divino de re statuerit, cui iustas facultates fecimus, placet ut templum de quo mentionem fecimus, Sancto Dominico Savio dicatum in urbe Lycia archidioecesis Lyciense, Basilicis Minoribus annumeretur, cum iuribus et liturgicis concessionibus, quae talibus aedibus fieri solent, servatis iis quae Decretum «De titulo Basilicae Minoris» exigit, die VI mensis Iunii factum, anno MDCCCCLXVIII. Contrariis nihil obstantibus. Ceterum quae egimus tum diligentissimo Lyciense Ecclesiae Pastori prosint, tum eius gregi Nobis carissimo; quos sane aequissimo animo Benedictione Nostra cumulamur. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVI mensis Aprilis, anno MDCCCCLXXXIV.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1984 - Libreria Editrice Vaticana